EX PAVLO.

Orminon Venerem ſtimulat, oculorum craſsities cum melle repurgat, œdemata diſcutit, & extrahit aculeos. Sylueſtre domeſtico eſt ualentius.

EX PLINIO.

Semen ad Venerem ſtimulandam, & ad oculorum argema & albugines ualet. Vtroque genere tuſo extrahuntur aculei ex corpore, per ſe illito ex aqua. Folia ex aceto impoſita, panos per ſe uel cum melle diſcutiunt. Item furunculos, priuſquã capita faciant, omnesq; acrimonias.

EX RECENTIORIBVS.

Recentiores etiam eaſdem facultates ſuo Gallitrico attribuunt: potiſsimum autem conferre ad albugines & oculorũ caliginem tradunt, ut hinc etiam colligi poſſit, herbam hanc Orminon eſſe Dioſcoridis.

DE OROBO. CAP. CCXV.

NOMINA.

OROBOS Græcis, Eruum Latinis dicitur. Officinæ græcam appellationem retinuerunt. Germanis Eruen / ad imitationem latini nominis, appellari poſſunt.

GENERA.

Duo ſunt genera Erui: unum enim candidum, alterum autem rufum inuenitur. Nec inter ſe niſi floribus & radicibus differunt, quemadmodũ pictura affabre monſtrat. Rufum uerò ſylueſtre eſt, ſuaq; ſponte in aruis, & inter dumeta prouenit.

FORMA.

D Exiguus frutex eſt, tenuis, anguſtis foliis, floribus uel candidis, uel in candido cœruleis aut puniceis, ſeminibus in ſiliquis ſine ſepto cylindraceis, quemadmodũ piſa, ſe inuicem tangentibus.

LOCVS.

Lætatur loco macro, non humido, quia plerunque luxuria corrumpitur.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio menſibus, iiſdemq; ſemina profert.

TEMPERAMENTVM.

Deſiccat quidem Eruum exceſſu ſecundo intenſo, calefacit uerò primo.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Capitis grauitatẽ facit Eruum, uentrem turbat, ſanguinemq; per urinã ducit ſi comedatur. Coctum tamen appoſitũ boues ſaginat. Farina eius bonam facit aluũ, urinam cit, corporis colorem cõmendat. Frequentior in eſu aut potu ſanguinẽ cum torminibus per aluum & ueſicam ducit. Vlcera cum melle purgat, & lentigines, & aſpredinẽ cutis in facie, eiuſdemq; maculas & reliquũ corpus. Nomas, gangrenasq; cohibet, & mammarũ duritias emollit. Fera ulcera, carbunculos, fauosq; rumpit. In uino macerata canum, hominũ, uiperarumq; morſus illita ſanat. Cum aceto autem difficultates urinę, tormina & teneſmos lenit. Prodeſt etiã iis qui cibo non nutriuntur, nucis magnitudine frixa & cum melle ſumpta. Decoctum eius fouendo pernio nes, & in corpore pruritus ſanat.

EX GALENO.

Orobus quatenus amaritudinis eſt particeps, eatenus incîdit, extergit, atq; obſtructiones expedit. Cæterũ ſi ſumatur copioſe, ſanguinẽ per urinas euocat. Hominum cibis prorſus hoc ſemen damnat: eſt enim & inſuauiſsimũ & praui ſucci. Eruo autem inſtar lupini præparato ex melle utimur, ut medicamento craſſos pulmonis thoracisq; humores expurgante. Candidum minus eſt medicamentoſum, quàm id quod ad flauum aut pallidum colorem tendit.

DE OREO-



ERVVM
SATIVVM.

Weiß Eruen.